



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

2. An & quatenus dilationes prorogari possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

personæ exhibeantur; aut Judex, negotii qualitate motus, & causâ cognitâ eam concesserit, l. *In terminis* 41 D. *De adulteriis*.

13. Cum verò dilatio omnis probatoria sit preceptoria, ut dictum est, quaeritur, an infra terminum datum ad probandum debeat probatio absolvi, an verò facta, postquam dilatio probatoria expiravit, valeat? Responsio pendet ex forma concessionis dilationis, qua de re videatur Pelsius in *Processu iurisciario* tit. 41. *num* 65.

14. Executoriæ dilationes sunt, quæ dantur condemnato ad satisfaciendum & sunt quatuor mensium, c. *Quarenti* sup. *De officio delegati*. l. 3. *Cod. De usuris rei iudic. l. si debitori* D. *De iudiciis*. Hæ dilationes non habent locum in rebus, neque in criminalibus: Nam in his executio non differtur, nisi certis casibus, notatis per Hostien. in *Summa*. *De officio delegati* §. *Qua iurisdictio versis quamvis*: Veluti cum Princeps jubet aliquem acris solito puniri; cum mulier prægnans damnatur ad mortem, cum damnatur servus rationis obligatus; cum relegato assignanda est insula.

Denique quia dilationes omnes hodie & de jure Canonico diximus esse arbitrarías, idèd & Tridentina Synodus *Sess* 25. *cap.* 10. *in fine*, admonet tam ordinarios, quam alios quoscumque Judices, ut terminandis causis, quanta fieri potest, brevitati studeant, ac litigatorum artibus, seu in lictis contestatione seu in alia parte judicij decernenda, modis omnibus, aut termini præfixione aut competentiâ ratione, occurrant.

§. II.

An & quatenus dilationes prorogari possint.

1. Primam dilationem prorogari non posse.
2. Quartam ex legitima causa posse.
3. Dilationes à iudice dari solita prorogari possunt.
4. Prorogatio dilatione major esse non debet.
5. Tempora dilationum sunt continua.

1. Primam dilationem probatoriam prorogari non posse docet Gail. 1. *Observant.* 91.

quia supersit secunda & tertia; imò & quarta, quando de iusto constat impedimento, & quia dilationes sint amputandæ. *lib.* 2. *Cod. de tempor. appellat.* neque ad extraordinarium prorogationis remedium deveniri debeat, quando supersit ordinarium, *juxta l. in causa cognitione* D. *De minoribus*. Imò, si in prima dilutione multi fuerint testes producti & examinati, non esse dandam secundam & tertiam dilutionem docet Glossa in *l. in causis in V. productionem h. t. i.* quia multitudo testium refræ nanda, c. *Significaverunt inf. De testib.* Gail. *d. loco n. 2.*

2. Quartam verò dilutionem posse ex legitima causa prorogari, cum eadem solemnitate, qua data fuit, licet non facile prorogari debeat, docet ibidem Gail. *d. loco n. 2.*

3. Similiter prorogari possunt dilationes, quæ à iudice dantur, veluti ad contestandam litem, ad respondendum libello actoris. Imò facilius prorogari potest hujusmodi dilatio, quam nova dari: *juxta Gloss.* in *lib. fin. Cod. de feriis*, dummodo intra terminum prorogatio petatur: Alioquin eo lapsò prorogari nequit, cum prorogatio nihil aliud sit, quam dilationis labentis, nondum lapsæ, extensio, l. *Sed si manente* D. *De precario*, l. *Bonorum* D. *Rem ratam haberi*. Et ideo lapsò termino non prorogatio, sed novus terminus seu nova dilatio petenda est, eaque ex causa dumtaxat concedenda. Dicitur autem nova dilatio, cum finito termino prioris alia datur.

4. Non debet autem prorogatio esse major dilutione, Rudger. Rulandus p. 1. *De Commissar.* *lib.* 2. c. 10. apud quem c. 9. vide, quomodo dilationes prorogari possint; quæ solemnitates in prorogatione quartæ dilutionis requirantur; quo modo contra prorogationem petitam adversarius protestari debeat, Vide & Menoch. *De arbit.* l. 2. *casu* 25.

5. Cæterum tempora dilationum omnium sunt continua, Glossa in *l. 2. D. De diversis & temporal. prescript.* ita ut comprehendantur tam dies feriati & solemnes, quam non feriati. Adèd ut ne quidem repentinis feriis interpolentur: Nisi quòd, his supervenientibus, subductisque iisdem beneficio restitutionis, alij totidem dies subrogentur, l. *Sed etsi* 26. §. *si feria* 7. *D. Ex quibus causis majores &c.*

§. IV.